



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Punct. 1 Quid sit voluntarium, quid liberaum, & quotuplex?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

# TRACTATUS SECVNDVS DE PECCATIS, ET REQUISITIS AD ILLA.

## PROOEMIUM.

**H**UNC tractatum triplici disputatione absoluemus.

In prima agemus de voluntario, & libero, & impedimento illius, scilicet, vi, metu, & ignorantia. Peccatum enim esse non potest, quin voluntarium, & liberum sit, vt optimè tractat D. Augustinus, *disput. 2. contra Manichæos, & lib. de vera religione cap. 14.*

In secunda disp. agemus de peccati natura, & essentia.

In tertia, de grauitate, & multiplicitate ipsius, & eius inter se distinctione; de quibus D. Thomas 1. 2. *quæst. 71. vsque ad 88.*

### DISPUTATIO I.

De libertate humanarum actionum, & impedimentis illius, scilicet, vi, metu, & ignorantia.

#### PUNCTVM I.

Quid sit voluntarium, quid liberum, & quotuplex.

<sup>1</sup> Definitur voluntarium, & liberum.

<sup>2</sup> Quotuplex voluntarium.

**V**OLUNTARIUM (vt dicit Philosoph. 1. *Ethic. cap. 1. & ex illo ferè omnes Theologi cum D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 1. & ibi eius expostio*) est à principio intrinseco cognoscendo singula, in quibus est actio. Cognoscunt enim bruta animantia, conuenientiam, & disconuenientiam cibi, aliamque rerum & ratione illius cognitionis fugiunt nocua, prosequuntur conuenientia: fuga enim, & prosequutio illius voluntaria illis est, quia fit ab ipsis media cognitione conuenientiae, vel disconuenientiae, secus verò nutritio, & respiratio, quia esto fit ab ipsis, non fit media cognitione: neque enim ad nutriendum aliqua cognitio requiritur. At ad amorem, odium, fugam, & prosequutionem, tristitiam, & gaudium alicuius obiecti necessarium cognitio est requisita. Et licet ipsa cognitio non sit in voluntate, vel appetitu, quo potentiae hae ab anima distinguuntur, non obest, quominus actus elicetus ab appetitu, & voluntate, sit voluntarius: quia est à principio cognoscente. Principium enim illarum operationum, non solum sunt potentiae illae distinctae, sed etiam ipsa anima, & cum anima immediatè ad omnes potentiarum actiones concurrat, efficitur procedere illam actionem voluntatis, & appetitus, à principio intrinseco cognoscente.

Liberum autem superaddit voluntario expeditionem potentiae ad agendum, & non agendum: quare, vt voluntas libera sit, requirit necessarium saltem ferri in obiectum cognitum, vt possit non ferri. Ex quo fit omne liberum voluntarium esse; quia est à principio intrinseco cognoscente: & insuper potente ab actione cessare, non tamen omne voluntarium liberum esse, quia non omnes voluntatis, & appetitus actiones nobis subduntur, sic Azor, *lib. 1. instit. moralium cap. 3. n. 4.*

In communi tamen modo loquendi, cum de actionibus humanis sermo est, pro eodem viaruntur, vt constat ex D. Ber-

nard. *in libello de lib. arbit. & D. Thom. quæst. 77. art. 6. & August. 3. de lib. arbit. cap. 18.*

<sup>2</sup> Voluntarium, & liberum stat dupliciter, aliud directè voluntarium, aliud indirectè, aliud in se, aliud in causa. Directè voluntarium dicitur, obiectum immediatè à voluntate amatum, vel odio habitum. Indirectè, quod medio hoc obiecto appetit voluntas, v. g. vis inebriati? & hac ebrietate cognoscit pollutionem, vel homicidium sequendum: ebrietas est tibi directè, & in se voluntaria, pollutio, vel homicidium, solum indirectè, & in causa. Debes tamen cognoscere effectum sequendum esse ex primò obiecto volito, nisi, etsi sequeretur, tibi voluntarium non esset: qua ratione cum pisces capiuntur hamo, captio illis voluntaria non est, quia non est cognita, etiam si necessariò sequatur ex appositione cibi.

Est tamen maxime aduertendum, vt aliquid dicatur voluntarium indirectè, necessariò requiri, vt directè voluntarium causa sit physica, vel moralis illius indirectè, vt in exemplo alato contingit: ibi enim ebrietas, causa fuit physica, & moralis pollutionis, & homicidij. At quando aliquis effectus sequitur ex commissione aliqua directè volita, talis effectus non est voluntarius omittenti, nisi aliqua lege teneatur non omittere, v. g. Scis submergendam nauim, ni auxiliaberis, omittis auxilium, submergitur nauis, nauis submersio tibi voluntaria non est, nisi aliqua lege tenearis non omittere auxilium: quia vt esset tibi voluntaria submersio, debebas, vel esse causa physica, vel moralis illius: physica esse non potes, cum nihil physicum producas, quo nauis submergatur: neque etiam esse potes causa moralis, cum nullum sit præceptum, neque lex, vt suppono, quæ tibi submerisionem prohibeat. Ergo non potes esse causa.

Deinde si tibi dicenda esset submersio nauis voluntaria, eo quòd posses impedire, & non impedisti, etiam Deo nostra peccata, vt peccata sunt, dicentur voluntaria, siquidem potens impedire, illa non impedit. Requiritur ergo, vt euentus ortus ex omissione aliqua, dicatur voluntarius omittenti, & quòd præuideatur sequendus ex omissione, & omittens possit, & teneatur impedire: & ita tradit S. Thomas 1. 2. *q. 6. art. 3. in corp. Vasc. ibid. disp. 24. cap. 3. à n. 5. Valent. disp. 5. n. 1. Salas tract. 1. disp. 1. sect. 4. Caietanus, Lotca, Medin. Zumel. in eod. art. Ioan. Sanchez disp. 21. sect. n. 5.*

Insuper est aliud voluntarium, quòd vocatur expressum, & aliud interpretatum, seu iuris fictione, & interpretatione, quia scilicet ius ipsam interpretatur te expressè consentire, etsi non contentias, quòd contingit, cum in præsentia alicuius efficitur actus ad ipsum pertinens, ipsèque tacet, consentire censetur: ex *reg. iur. in 6. Qui tacet, &c. & ex l. qui tacet, ff. de regul. iur. de quo multa Glossa ibi, Baldus Abbas, & Felin. in cap. nonne bene, de presump. Barr. in l. qua doris, ff. solut. matr. & multis exornat Azor. toto cap. 4. lib. 1. instit. moral.*